Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30429
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

tione inducti non in blasphemiam possunt nec volunt aliquatenus prosilire. Ac per hoc licet graviter puniantur, longe tamen aliter et mitius quam in inferno, et est illum statum indubitanter scire aliquem quod illum numquam sit, illi in inferno irremediabiliter puniantur et cruciantur.

Postremo quia pena illa debet esse expurgatoria, et purgatio illa est spiritualis, necesse est quod ignis ille spiritualem habeat virtutem divinitus sibi datam, vel ut magis credo ipsam virtutem gratie intimius (?) habitantis ad vitam expeditam intrinseca ipsam animam iam possessis punitam et reatum hominis alleviatam perget purgatione sufficiente, ut tam iam nulla remaneat dissimilitudo ad gloriam. Et quoniam tales sponte dispositi sunt in summo ad deiformitatem glorie suscipiendam, tamen tum ianua sit aperta et purgatio consummata, necesse est illos sponte evolare in quibus est causa ignis sursum levans et nichil retardans ex parte impunitatis anime vel reatus. Non enim decet divinam misericordiam seu iustitiam ut amplius differat gloriam cum veniat receptaculum ydoneum. Et magis sit pena indilationis peniorum (?) non amplius puniri debeat sponte iam purgatus.

De suffragiis ecclesiasticis

De suffragiis autem ecclesiasticis hoc tenendum est quod suffragia ecclesie prosunt mortuis. Suffragia dico que ecclesia pro mortuis facit, sicut sacrificia, ieiunia, elemosine et alie orationes et pene voluntarie assumpte pro eorum culpis celerius et facilius expiandis. Prosunt autem mortuis non quibuscumque, sed mediocriter bonis, ut pote illis qui sunt in purgatorio, non valde malis sicut illis qui sunt in inferno, non valde bonis sicut hiis qui sunt in celo, quin potius eorum merita et orationes suffragantur ecclesie militanti, cuius membris multa beneficia impetrant beati. Prosunt autem secundum magis et minus vel pro diversitate meritorum in mortuis vel pro caritate vivorum, qui magis solliciantur pro aliquibus quam pro aliis. Et hoc ut ad penarum mitigationem vel celeriorem liberationem secundum quod superne providentie dispensatio eis melius videat expedire.

¶ Ratio autem ad intelligentiam predictorum hec est: quia primum principium cum sit optimum ac per hoc summe severitatis contra malum, debet pariter summe suavitatis esse ad bonum. Et ideo cum ratione severitatis iustitie iusti in quibus est reatus culpe debeant post hanc vitam in purgatorio tormentari, debent et ratione suavitatis misericordie relevari et habere auxilium et munimen, et maxime quia in miseria sunt constituti et suis operibus et meritis non possunt amplius se iuvare. Disponere igitur debuit regimen divine providentie suffragia eis conferri ab eis qui possunt, salva tamen rectitudine iustitie, a qua nec debet nec potest dulcedo misericordie dissentire nec aliquatenus separari. Quoniam igitur rectitudo iustitie exigit conservationem honoris divini, regiminis universi et equitatis meriti humani, ideo supremi et primi principii providentia summa disposuit hec suffragia valere defunctis secundum dulcedinem misericordie et rectitudinem iustitie servantis divini severitatis honoris dignitatem, universi regiminis et humani meriti equitatem. Primo igitur quoniam in humanis suffragiis servari debet iustitia que divini temporis (?) precipue est conservativa honoris, et honor divinus exigit ut opera satisfactoria et penalia sint pro solvendis pro culpis, hinc est quod per illa opera habent suffragia fieri, per que fit potissime satisfactio et honor recompensatur deo. Quoniam igitur huius sunt tres partes satisfactionis, scilicet ieiunium, elemosina, oratio, vel altaris sacrificium in quo maxime redditur honor debitus propter placentiam illius qui in sacrificio illo offertur, hinc est quod suffragia ecclesie consistunt in hiis quatuor operibus et maxime in missis celebrandis, secundum quod Gregorius in iiii dyalogorum insinuat de his propter missarum beneficia de penis magnis celerrime liberatis. Ac propter hoc pompa exequiarum et curatio funeris et huiusmodi non debent inter suffragia ecclesie computari. Propter hoc quod sanctus Augustinus dicit in libro de cura pro mortuis agenda, quod curatio funeris, conditio sepulture et pompa exequiarum magis sunt solatia vivorum quam subsidia mortuorum. Amplius quoniam ibi debet servari iustitia conservativa ordinis et regiminis universi, et hoc exigit ut in communicatione influentiarum salvetur ordo et simbolum inter ea in quibus et in que ille influentie manant, ac per hoc cum inferius non debeat influere in id quod est superius nec in id quod est per omnimodam distantiam elongatum, hinc est quod suffragia ecclesiarum non possunt valere hiis qui sunt in inferno, quia sunt a corpore Christi mystico penitus separati. Unde nulla spiritualis influentia ad eos perveniat, non eis prodest, sicut nec influentia capitis prodest membris a corpore amputatis. Hinc etiam est quod non prodest bonis, qui sunt omnino superiores secundum statum et iam in termino existentes non possunt altiora conscendere, sed magis e contrario ipsi prosunt nobis et eorum orationes, nam et hoc meruerunt in carne. Et ideo disponit